



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XXI. Pictura viri fortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

cundia postulat. Raptus est mihi, ¹ frater, pessimis comitibus & perditis. Duce namque luxuria & subremigante, seu potius velificante nequitia in illos impudicitæ scopulos, & ipsa famæ suæ naufragia delatus. Proh deum atque hominum fidem! qua in civitate prostitui licet, mori non licet? An utrunque congruere æstimatis huic ordini, & vitam turpem ² promittere, & ab honesta morte prohibere? Vivere non sustinerem, si hæc in mea vel sorore vidissem. Improbi flagitatores, qui detrimenta pueritiæ suæ mutuo dedecore compensant.

X X I.

Pictura viri fortis.

VIRORUM FORTIUM FACTA PINGANTUR. VIRI FORTES DE PRÆMIO ARMIS CONTENDANT. Fratres fortiter fecerunt: pater à minore petit, ut majori cederet: non impetravit. Prælio interficit majorem minor. Petit præmio, ne facta pingantur. Pater contradicit.

C O N T R A F I L I U M.

SI quid precibus contra filium meum possem, domi monere quam publice maluissem. Nihil audeo filio dicere, quam quod ab ipso nuper audiui: leges uti valeant, quam quicquam mali facere. Cede fratri, cede vel patri, victor eris, mihi crede, si cesseris. Didici salvis legibus, parricidium posse committi. Cætera jam non sunt narranda, pingenda sunt. Vana & inepta formido est, videre non posse, quod feceris, & colorem timere, quod ³ per sanguinem simuletur hoc factum, non tantum colore, sed ære, si possit & lapide, & quacunque ⁴ corporum nostrorum materia vel ars æmulata est. Infecta quemadmodum possunt esse, quæ facta sunt? Picta quidem interim non sunt,

¹ Frater pessimis.] Utique à pessimis. Idem.

² Promittere.] Legendum permittere. Pithæus.

³ Per sanguinem.] Hic adjici debet asteriscus qui corruptum locum nota-

ret. Idem.

⁴ Corporum nostrorum materia vel ars.] Fortassis: & lapide, & quacunque materia corporum nostrorum sive ars imitata est. Lucretianum sive corporum. Gronov.

sunt, sed in omnibus pectoribus incisa sunt: in oculis, in animis, in ipsis denique tuis manibus. Tu victoria clarus es, ille innocentia.

XXII.

Privignus tyrannicida.

TYRANNICIDÆ PRÆMIUM. PRÆMIO CEDERE LICEAT. Qui novercam habebat, occidit tyrannum: cessit novercæ præmio: illa privigni nuptias petit. Contendant quis contradicat, maritus, an privignus.

PRO MARITO.

CUM suo parente contendit, ut mihi videatur melior adhuc privignus esse quam filius. Cœpit & hic me sic habere despectui, ut qui novercæ beneficium se dedisse lætatur, à me nec accipere dignetur. Ego primus in domo mea, fateor, erravi: qui uxorem duxi senex, cum jam esset in domo filius, & quidem juvenis. Dum nimium confido pietati, oculos mulieris incestos, & infanda desideria nutrivit. Novercæ præmio cessit, cum haberet in domo patrem, cui nemo præferret in tali honore vel matrem. Non privignum ante tentarat? quis, rogo, fructus est, impetrare nuptias hominis invicti? Uter vobis actor utilior videretur & verior, maritus an cœlebs? filius familias, an pater? senior, an juvenis? qui repudiatur, an qui præponitur? qui beneficium dedit, an qui accepit injuriam? mea uxor abducitur, tu quis es? meum cubile deseritur, ad te dolor iste quid pertinet? Ego, inquit, præmio cessi: tu ergo non potes revocare quod dederis, eamque reprehendere, quam paulo ante laudaveris. Cavendum tibi est, ne si victus (ut sunt judiciorum incerta) discesseris, dicaris iudicio quoque sic cessisse quasi præmio. Sic est livoris ingenium, omnia suspicantur, qui nihil audiunt. Das amanti solatium: affers in amore vel jurgium.

XXIII. Pere-